DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMORRHAGIÆ PATHOLOGIA.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMORRHAGIÆ PATHOLOGIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS RAFFINGTON,

JAMAICENSIS;

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.


Et neque jam color est misto candore rubore;
Nec vigor, et vires, et quae modo visa placebant;
Nec corpus remanet.—Ovid. Met. iii. 491.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR

MDCCCXXVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO EXIMIO

JOSEPHO REAY, Armigero;

JAMAICENSI;

HANCCE DISPUTATIONEM,

PERTENUE SUMMAE AMICITIAE TESTIMONIUM,

DEDICAT

AUCTOR.

VIRO OPTIMO

THOMÆ NEALE, Armigero,

LONDINENSI;

OMNIBUS QUI EJUS NOVERUNT VIRTUTES,

CARISSIMO;

HOCCE OPUSCULUM,

PARVULUM QUIDEM SED SINCERUM GRATI ANIMI

INDICIUM,

MULTORUM HAUD IMMEMOR BENEFICIORUM,

OFFERT

THOMAS RAFFINGTON.

PATRI CARISSIMO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

EA, QUA DECET, PIETATE,

CONSECRAT

FILIUS.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HÆMORRHAGIÆ PATHOLOGIA.

AUCTORE THOMA RAFFINGTON.

PROŒMIUM.

Cogitanti mecum quem morbum, prae caeteris, selegerem, de quo, in Disputatione Inaugurali, scriberem, in mentem venit, Haemorrhagias locum nullis secundum tenere, sive ad frequentiam, sive ad terrorem, quem creant, sive ad prompta quae postulant, remedia, spectas. Quum vero Haemorrhagiae omnes, non multum, quod attinet ad earum naturam, differunt, sed in fere cunctis corporis partibus, secundum easdem leges procedant, fere easdem agnoscant causas, atque similibus sanentur remediis, satius esse duxi, de toto Haemorrha-

giarum ordine, scribere, quam memet uni continere. Quum porro cuncta, quae cognoscere de his morbis interest, intra hujusmodis opusculi limites comprehendere vix liceat, mecum decrevi non ultra Pathologiam horum morborum procedere.

Principio vero proponendum est, non in animo esse aliquid dicere de Haemorrhagia Chirurgica; quippe, quae, sub aliis rebus, oriatur, atque phenomena ostendat, quae, ex principiis prorsus diversis, explicanda sunt. Cuncta igitur quae postea proferenda sunt, ad eas attinent Haemorrhagias, quae medico sunt curae.

Ea vero, quae de Haemorrhagiarum Pathologia collegi, satis commode reduci ad tria capita possunt; Historiam, nempe, medicam generalem Haemorrhagiarum; Causas, tum quae homines pronos reddunt ad Haemorrhagias, tum quae easdem excitant; atque Phenomenorum rationem, quae in his morbis observantur.

HISTORIA.

Hæmorrhagia, sub rebus maxime diversis, incidit. Nunc comitantur aucta cordis atque arteriarum actio, et cuncta justae pyrexiae symptomata; in quo exemplo, sanguis e vena missus, ut in phlegmasiis, crustam coriaceam ostendit. Nunc contra oritur in corpore laxo et infirmo, in quo generis sanguiferi actio debilior est, nullis pyrexiae signis comitantibus, et sanguine effuso minus rubro, atque magis tenui. Morbo prius posito, * Dr Cullen nomen Haemorrhagiam activam imposuit; † Dr Good eandem Haemorrhagiam Entonicam nominavit. Alter morbus est Haemorrhagia Passiva Doctoris Cullen, Haemorrhagia Atonica Doctoris Good.

Haemorrhagia vel externa est, vel interna;

---

* "First Lines," ad pag. 298. Tom. ii.

† "Study of Medicine," ad pag. 176. Tom. iii.

accuratius autem nomen iis morbis imponitur, in quibus sanguis extra corpus ejicitur. Internae Haemorrhagiae potius sunt notae, post mortem detectae, quam justi morbi.

Membranae mucosae praecipuam praebent sedem Haemorrhagiis; quoniam cavis, quae hae muniunt, solis ostium est, quo ea, quae continent, effundantur. Cutis tamen non prorsus hujus mali immunis est. Nam haud pauca exempla memoriae tradita sunt, in quibus sanguis a cute profluit, nulla vi externa admota, et nulla laesione evidenti facta. Huic affectioni auctores nomen imposuerunt sanguinis sudorem. Oportet fortasse etiam simul cum externis Haemorrhagiis, eos affectus recensere, in quibus sanguinis effusio manifesta fit; etiamsi non e corpore rejicitur; quales sunt effusiones sub cute in febribus, purpura atque scorbuto. Sed ut ad texturam mucosam redeam, praecipuam Haemorrhagiarum sedem. Nulla ejus pars, hujus mali immunitatem habet. Membrana narium, oculi, auris externae, oris et faucium, pulmon-

is, totius canalis alimentarii, aeque ac membrana in meatibus urinae, et membrana in organis genitalibus muliebris corporis, omnes huic malo obnoxiae sunt.

Partes vero membranae mucosae aliae, aliis vitae temporibus, facilius in hunc morbum incidunt. Sanguinis profluvium e naribus saepius fit prima aetate, quam cum corpus justam magnitudinem attigerit. Haemoptysis magis vexat, postquam pubes venit, usque ad annum 35tum aut 40mum. Sanguis a vasis Haemorrhoidalibus, in provectioribus potius fluit. Et Melaena, sive rejectio humoris nigri sanguinolenti, tum e ventriculo, tum alvo, raro nisi in senioribus observatur.

Haemorrhagiae sunt vel idiopathicae vel symptomaticae; sive Haemorrhagia vel solus morbus est, qui urget, vel saltem qui detegitur, sive originem trahit, ab alio malo, cujus partem constituit. In febribus atque morbis exanthematicis, sanguis saepe naribus fluit, et urina saepe sanguine commixta est. In scor-

buto sanguinis profluvium a gingivis plurimos afficit. Haematuria saepe a calculis in meatibus urinae originem trahit. Et Haemorrhagia uterina a polypis, mola, hydatidibus, et similibus vitiis uterum infestantibus, saepe pendet.

Simul cum his Haemorrhagiis symptomaticis, recensere oportet vicarias Haemorrhagias, quae incidunt, suppressa aliqua evacuatione, vel naturali, vel cui corpus assuefactum est. Hujusmodi sunt Epistaxis, Haemoptysis, atque Haematemesis, ortae in feminis, quibus menstrua sunt suppressa; quin et Haemorrhagia ad certa intervalla rediens, in hominibus, qui postquam corpus suum in consuetudinem amittendi sanguinem, statuto tempore, adduxerint, tandem omittunt.

Restat ut unam rem satis insignem, in Haemorrhagiarum historia, proponam, reditum, nimirum, profusionis sanguinis, ad certa atque definita temporis intervalla.

Instar menstruorum, morbosa sanguinis profusio, ad statuta tempora, redire observatur. Quod quidem verum est de omnibus organis, e quibus sanguis fluere solet. Sed multo saepius fieri videtur, in sanguinis profluvio haemorrhoidali, in quo reditus saepe eadem, ac menstrua, habet intervalla.

CAUSÆ.

Magna causa, quae proclivitatem impertit ad Haemorrhagiam, est plethorica corporis conditio. Plethora est nimia vasorum sanguiferorum distentio. Facilius in temperamento sanguineo oritur, et gigni potest multis causis, magis notis, quam ut necesse sit eas enumerare. Existere potest, nunc in alio, nunc in alio vasorum genere; vel in arteriis vel in venis; potest esse vel sanguinea vel serosa; potest esse vel vera vel spuria. In junioribus, qui non adhuc justam corporis magnitudinem attigerunt, natura id egit, ut plethora arteriosa adesset, eo consilio, ut corpus incresceret. Quae ple-

thora paulatim imminuitur, pro eo, ut minus ea opus sit, et tandem plethora venosa accedere incipit.

Plethora sanguinea adest, quoties nimia vasorum sanguiferorum distentio est, pulsus plenus et validus, musculi firmi et, inter agendum, validi, tota corporis figura prominet, neque magna est ad pinguedinem proclivitás.*

Plethora serosa in temperamento phlegmatico, saepius incidit, feminas frequentius quam viros afficit, et distinguitur pulsu pleno, sed infirmo, figura corporis levi atque nitida, proclivitate ad pinguedinem, secretionum languore, atque animi et corporis inertia.†

Plethorae spuriae sunt, plethora ad spatium, plethora ad molem, plethora ad vires; quarum postrema non multum a plethora serosa differt. Ea vero est nimia vasorum distentio, orta potius a virium motricium defectu, quam ab ejus humoris nimia abundantia.

---

* Vide Good "Study of Medicine."

† Idem Opere citato.

Plethora ad spatium et plethora ad molem, recenseri debent, potius cum causis Haemorrhagias excitantibus, quam cum praedisponentibus, sed satius videtur eas, sub plethora generali, comprehendere quam, nimia dispositionis severitate, in iterationis reprehensionem incurrere.

His duobus plethorae generibus commune est, ut oriantur, sanguine, qui in corpore est, nihil aucto. Plethoram ad spatium definiunt, eam generis vasculosi conditionem, in qua quantitas sanguinis non augetur, sed in qua vasorum capacitas imminuitur. Ejusdem exemplum est in ea corporis conditione, quam frigus summo corpori admotum gignit; vasa extrema coarctantur, ita ut sanguis, intra minus amplum spatium, contineatur, vel sibi locum faciat ea distendendo vasa, quae contractionis causae non subjiciantur.

Plethora ad molem sanguinis expansionem significat, quantitate ejus nihil aucta, et vasis

non aeque capacitate auctis. Id spuriae plethorae genus, ut sibi persuadent pathologi, a calore atque aëre rarefacto oritur. Multi dubitarunt an hujusmodi plethora incidere possit, quum vasa, aeque ac sanguis, causis expansionis, subjiciuntur. Quum vero nobismet reputamus, fluida solere expandi majori modo, ex calore, quam solida, et sanguinem saepe, si non semper, aliquantum aëris continere, qui majori modo, quam vel fluida vel solida, admoto calore, vel imminuta pressura, expanditur, verisimile videtur nos in nullum incurrisse errorem, si statuerimus, plethoram ad molem, eo sensu, quo hic ponitur, posse incidere in corpore.

Nulla alia est causa praedisponens quam proponere opus est, priusquam ad disserendum de causis morbum excitantibus procedam, nisi vasorum extremorum infirmitas in aliqua parte; quae etiamsi, in omni Haemorrhagia, adsit, causa est, quae potissimum proclivitatem ad passivam Haemorrhagiam impertit.

Causae Haemorrhagiam excitantes, maxime insignes, calores magni sunt, frigus summo corpori admotum, exercitatio, sive magni musculorum nisus, quales sunt cursus, saltus, saltatio, magna pondera, montium ascensus, tussis vehemens, risus immodicus, et diuturnus vomitus; ad haec animi affectus, praesertim ira; longa ulcera, aut fonticuli sanati, atque eruptiones in cute chronicae suppressae. Necnon causae locales, quae alia atque alia organa afficiunt, quales alöe nimis liberaliter adhibita, vel Terebinthinae, Cantharides, Juniperi Sabinae folia, atque alia acria. Modum, quo nonnullae, ex his causis, effectum praestent, proponam, in ea parte hujus disputationis, ad quam nunc transeo.

PHENOMENORUM RATIO QUÆ IN HÆMORRHAGIIS OBSERVANTUR.

PATHOLOGI affirmant, activam Haemorrhagiam, eo modo, a passiva differe: in activa Haemorrhagia vim a tergo, derivatam a cordis et vasorum actione, praeter modum augeri,

ita ut vasa extrema alicujus corporis partis, etsi haud infirmata, nequeant insolito sanguinis momento resistere; in passiva Haemorrhagia contra, vim a tergo haud solito grandiorem esse, sed extrema vasa alicujus partis, adeo debilia facta esse, ut solito sanguinis momento resistere nequeant. In hac ratione, quae vulgo BICHAT attribuitur, extremum utriusque generis Haemorrhagiae exemplum invicem contrarium ponitur, quorum neutrum fortasse in corpore, unquam incidit. Verisimile enim est, aliquam vasorum infirmitatem, adesse in perfectissimis etiam activae Haemorrhagiae formis, quae non pendet, ab aliqua vasorum ejus partis proclivitate, ad sanguinis effusionem propter aetatis tempus; et aliquod, quantumvis leve, sanguinis momenti incrementum existere, in aeque perfectis Haemorrhagiae passivae exemplis. Utile vero est haec mala, eo modo, distinguere, neque credere licet auctorem, eam, pro vera theoria proposuisse: sed potius, ut quam brevissime atque concinne, praecipuum discrimen pathologicum, inter has duas hujus morbi formas, proponeret. Ali-

quatenus, igitur, haecce comparatio inter Haemorrhagiam activam atque passivam, pro scientiae incremento est. Sin pro Haemorrhagiae theoria habenda sit, imperfecta est, in eo quod ad activam spectat. Haud difficile est intelligere, quomodo passiva Haemorrhagia oriatur, quum positum, vasa adeo infirma facta esse, ut non possint solito sanguinis momento resistere. Sed, nullo modo, exinde certiores fimus, cui causae insolita cordis actio debeatur. In aperto quidem est, causas jam enumeratas, quae Haemorrhagias excitare solent, cordis actionem augere; sed earum affectus non nisi per breve perstat spatium. Actio aucta, quam illa movent, sufficere potest, ad ostia exhalantium vasorum aperienda; sed rogare licet, quid usque cordis actionem moveat, postquam sanguis effluere inceperit; et, istis causis jam submotis, quid pyrexiam creet; quid crustam coriaceam in sanguine gignat; quid denique hunc morbum, quod ad tot res attinet, acutae inflammationi tam similem reddat. Pathologiae scientia non hactenus, uti videtur, satis provecta est, ut his respondeatur.

Quam minime causae excitantes vulgo enumeratae valerent ad omnia activae Haemorrhagiae symptomata concitanda, CULLENUS satis intellexit, ideoque conatus est originem symptomatum febrilium explicare, pari modo, ac illi placuit aliorum febrilium morborum rationem reddere. Censet congestionem sanguinis, in vasis affectae partis, originem sensui impedimenti praebere, ad quod superandum, vis medicatrix naturae, in actionem venit; pyrexiam, hujus potestatis actione, effici, et auctam cordis et vasorum contractionem usque sustinere eum effectum, quem causae excitantes prius induxissent, atque sanguinis profluvium augere et diuturnius reddere. Haec profecto sententia haud multum phenomenorum, de quibus agitur, rationem aperit. Attamen si eam inflammationis theoriam, quae vulgo Doctori WILSON PHILIP attribuitur, sequamur, eam nempe, in qua debilitas vasorum affectae partis, cum eorundem dilatatione, putatur vasorum, quae, partem versus, sanguinem vehunt, atque cordis ipsius reactionem inducere, haud difficile esset monstrare, CULLENI sententiam,

de phenomenorum ortu, in Haemorrhagia, illi theoriae consentaneam esse. Vis medicatrix Naturae, de qua CULLENUS loquitur, et reactio, quae toties recentioribus Pathologis in ore est, idem prorsus significant. Si igitur causae, quae Haemorrhagias excitant, vasa extrema expandunt, ita ut eorum actio, in transmittendo sanguinem, prohibeatur, obstructio, si ad magnitudinem vasis spectas, orietur, et, secundum bene notam legem in corpore, hanc obstructionem reactio excipiet: in qua reactione pyrexiae phenomena ponuntur; ad quae explicanda, tota res agitatur.

Haec profecto adhuc in obscuro; sed ex jam dictis patet, nisi fallor, arctum intercedere nexum inter Haemorrhagiam atque Inflammationem. Haec est sententia viri clarissimi Doctoris PARRY,* et etiamsi ille hanc sententiam, ex aliis argumentis, collegit, haud dubito illi assentiri, quum proponit inflammationem

* "Elements of Pathology and Therapeutics."

atque Haemorrhagiam effectus ejusdem causae generalis esse, et Haemorrhagiam nihil aliud esse, nisi inflammationis formam aut varietatem.

Aliquis dicat hanc sententiam nihil omnino conferre, ad augendam Haemorrhagiae Pathologiam; quoniam vera inflamationis natura, adhuc in obscuro, vel saltem in dubio est. Non autem id ei opinioni objicere oportet; nam vix possumus, aliquo modo, magis accedere ad illustranda alicujus morbi phenomena, quam monstrando, nexum prius ignotum, intercedere inter ea atque phenomena, quae, in alio morbo, observantur.

Sed transeundum est ad explicandum quasdam res jam supra enumeratas, quae ad Haemorrhagias attinent, atque ad disserendum breviter de modo, quo nonnullae, ex causis jam positis, effectum praestent. Sunt duae res, in historia Haemorrhagiarum medica, quae sibi attentionem animi vindicant; utpote quae ad theoriam morbi aperiendam conferre pos-

sint; proclivitas nimirum ad hunc morbum, in quibusdam partibus, ad certa vitae tempora, atque morbi reditus, in aliqua parte, post statuta intervalla.

Primis annis, proclivitas est ad Epistaxin. Caput, primum, justam ejus magnitudinem attingit; plethora igitur arteriosa, a natura destinata ad corporis incrementum, ibi primum non necessaria fit. Sanguinis abundantia, igitur, non amplius impensa, vel parcius impensa, in capitis incremento, morbi fit fons, et, admota forte aliqua causa excitanti, ortum dat sanguinis profluvio e naribus; quia membrana eas muniens, est ea pars capitis, e qua, propter vasorum abundantiam, teneram fabricam, atque apertam ejus naturam, sanguis facillime elabitur.

Haemoptysis malum est, ad quod proni sunt homines, inter pubertatem, atque annum trigesimum quintum aut quadragesimum. Quum jam cunctae partes, ad justam pervenerunt magnitudinem, ideoque sanguinis dis-

pendium in extendendo genus arteriosum, haud magnum est, plethora facile oriri potest. Quum vero totus corporis sanguis per pulmonem transmittatur, et quum sanguis aërem excludendo possit sibi locum facere, haud alienum videtur opinari generalem sanguinis abundantiam, in eo organo potissimum sese accumulare ; praesertim si nulla proclivitas forte sit, in aliquo alio organo, ad sanguinis congestionem. Post annum trigesimum quintum, arteriae putantur maximum attigisse robur, nulla, quae respondeat, aucta potestate venis addita ; post id temporis igitur, siquando plethora in corpore inciderit, generi venoso incumbit, quod nunc minorem facit moram sanguinis expulsioni ab arteriis. Et haec proclivitas, in venis, ad plethoram, onus accumulati sanguinis pulmoni aufert.

Profluvium sanguinis a vasis Haemorrhoidalibus, potissimum fit inter annum aetatis quadragesimum, et sexagesimum ; sive postquam plethora venosa adesse coepit. Plethora autem venosa sanguinis profluvium ab arteriis facile creat, quia sanguis non liberaliter trans-

missus, ex his, in venas, majori momento, in capillaria vasa, exhalationi inservientia, vi cordis, propellitur, apertisque, praeter solitum, eorum ostiis, effunditur. Sed ex valvularum defectu, atque causis, in media, et in provectiori aetate, ortis, vena portae ramique, unde formatur, magis prona sunt ad congestionem sanguinis, quam reliquae generis venosi partes. Sanguinis profluvium igitur, facile fieri potest ab extremis vasis, e quibus sanguis ad venam portae transmittitur. Et quum ex his Haemorrhoidalia vasa ima sunt, atque causis vulgo Haemorrhagiam excitantibus, magis objecta quam cetera, ratio redditur, a qua Haemorrhoidalis profusionis, ad haec vitae tempora, frequentia pendet.

Rationum, quae jam propositae sunt, de his Haemorrhagiarum phenomenis, CULLENUM auctorem esse agnoscere oportet; quo nemo Pathologorum accuratius haec phenomena, sub notis Physiologiae Principiis, retulit; quantumvis sua sententia, quod ad multa attinet, a vero adhuc distet. Ad explicandum Hae-

morrhagiae reditum post statuta tempora, necesse est, ut plura principia, in animo versentur. Id quod maxime manifestum est, in eo ponitur, ut, quoties proclivitas ad plethoram est, ea conditio, pro tempore, sanguinis profluvio submota, post spatium redibit ex iisdem causis, a quibus prius allata fuisset. Ad aequalitatem intervallorum explicandum, consuetudinis potestati in corpore aliquid attribuere oportet.

Sed praeterea evacuationes modicae sanguinis, id agunt, ut plethora augeatur: multis modis Pathologi hanc rem explicare conati sunt. Ex his unum proponam. Evacuationes cunctae, et potissimum sanguinis evacuationes absorptionem promovent. Modica sanguinis profusio, igitur, chyli absorptionem promovet, ita ut plus nutrimenti, ab eadem ingestae materiae quantitate, extrahatur; sed necesse est, ut haec aucta absorptio, concoctioni ciborum faveat, ita ut appetitus melior fiat, et cibi incrementum postuletur. Duplici igitur modo sanguinis quantitas increscit.

Ad modum, quo causae effectum praestent, nunc transeundum est, de quo quam brevissime agam.

Calor cordis actionem semper auget. Quomodo vero hunc praestat effectum? Anne genus nervosum stimulat, an sanguinem, recta via, afficit.

Si conceditur plethoram ad molem, a calore gigni, facile est hanc rem intelligere; quoniam necesse est, ut aucta moles soliti stimuli auctam creet actionem.

Quod ad frigus attinet, necesse est ut sanguinem, a summo corpore repellat, sanguine inde, in internis organis, accumulato.

Exercitatio, sive frequens musculorum usus, cordis actionem intendit. Motum sanguinis per venas accelerat, valvulis instructas, ita ut plus soliti stimuli, ad cor vehatur, dato spatio: ex quo fieri non potest, quin frequentius contrahatur.

Animi affectus, mirum in modum, cordis contractiones intendunt: neque dubitandum est, quin eum praestent effectum per nervosum genus.

Causis jam positis commune est, ut cordis actionem intendant, ideoque sanguinis momentum grandius reddunt. Cæteræ causæ jam enumeratæ vasa in partibus afficiunt et attinent ad passivam potius quam activam Hæmorrhagiam.

FINIS.

Excudebat Joannes Moir, 1826.